

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali**

**Hufeland, Gottlieb**

**Jenae, 1799**

**VD18 12256064**

§. 20.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8845**

titias \*) vocant) et hi iterum acceptationem detrec- tent. \*\*) Nam istae quoque acceptationis omissiones le- gitime probandae sunt, ut processus cambialis, quo re- gressus quaeritur, exitum optatum invenias. \*\*\*)

§. 20.

Protestationis necessitas omnino eadem est, accepta- tione ex quacunque causa denegata, veluti ob falsitatem totius cambii, \*\*\*\*) ob istius interpolationem, ob non ac- ceptas literas monitorias, quas vulgo *avisatorias* di- cunt †), ob diversitatem tenoris plurium cambii instru-

C 2

men-

\*) HEINECCIUM elem. j. camb. cap. 3. §. 31.

\*\*) cf. *Allg. preuss. Landr.* P. II. §. 1018. 1019.

\*\*\*) cf. BARTH, hodegeta forens. cap. 4. §. 4. not. aa. HEINEC- CII elem. j. camb. cap. 3. §. 32. et not. Non moror, quae in contra- rium attulit Io. Christoph. FRANCK. in diss. de jure adimple- menti literar. cambial. honor. causa §. 17. not. f. (in BESEKIE thes. p. I. p. 488) et in inst. camb. L. II. Sect. 2. tit. 5. §. 5. Hic enim non de literis istis ipsi cambii instrumente inscriptis, sed in separata schedula consignatis loquitur (quarum mentionem HEINECCIUS l. c. quoque facit, quas tamen nunc quidem rarissime obvenire opinor.) Ad tales cambii vim non extendi, sed istas sola assignationis jure censerī contendit, circa quas non omnino dissentio, praesertim cum de literis istis, ipsi cam- bio inscriptis, expressis fere verbis protestationis necessitatem concedere videatur.

\*\*\*\*) cf. *Allg. pr. LR.* P. II. §. 1143.

†) Etiam in illo casu, quo translati inter plures, ejusdem e. g. nominis, discerni nequeat, protestationem non solum tutio- rem (uti RICCIUS t. c. §. 34. opinatur), sed vere necessariam duxerim, consentiente Io. Ad. БЕСКИО (*vom Wechselr. Kap. 4. §. 37.*)



mentoribus sive etiam literarum aviatoriarum et ipsorum instrumentorum etc.

§. 21.

B) *Conditionatam et restrictam.*

Nondum vero confectum est negotium pura et absoluta ista acceptationis denegatione. Fieri potest a trassato acceptatio conditionalis et restricta, de qua ex professo exposuit BREVNINGIVS supra (pag. 2.) citatus, multa tamen eandem circa obvenientia illibata relinquens, quae iterum uberrime recensuit summus hac in re SIEVEKINGIVS. \*) Cum enim, ut acceptatio omnibus numeris absoluta sit, multa desiderantur; omissa una vel altera parte, cambii dominus facile jura quaedam perdere vel de iisdem periclitari potest, ita ut ad regressum erga trassantem sive alium statim vel in casum damni obvenientis fundandum et circumstantias ad eundem necessarias probandas protestatione uti debeat. Acceptationem incompletam habes, 1) si non acceptet trassatus, nisi sub conditione vel formula a cambii literis quoad tempus solutionis, vel summam, vel pecuniae species, vel etiam quoad locum solutioni praefixum aberrante, 2) si in ipsis cambii literis summae, quam plerumque bis, alteram verbis, alteram notis numeralibus, exprimunt, mentio diversa per errorem facta sit, et trassatus non nisi minorem acceptet; 3) si cambium ad plures trassatos, societatis negotiatoriae vinculo non junctos, directum est, ex iisque quidam tantum acceptationem recusent; 4) si cambio, in quo solutio pecuniae certo dierum spatio a visis literis numerandarum alligatur, trassatus diem acceptationis adjicere nolit; ut alias hic taceam acceptationis limitationes.

§. 22.

\*) *Materialien.* §. 128. 199.

